



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. X. Distinguantur attributa ab essentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Cap. IX. An predicata alia Deo conueniant.

Respectiva
huiusmodi
sunt.

Rursus verò hæc attributa respectiua duplicia sunt, quædam ex æternitate Deo conueniant, nam de illo possent ab æterno predicari, si ab æterno fuisset, qui tales propositiones formaret, & Deus ipse de se illa cognouit ab æterno, licet non modo respectiua, nec imperfecto, talia sunt: præscientia, prædestinatio, prænitio, Prouidentia, & similia. Alia vero sunt, quæ de Deo ex tempore vere dici incipiunt, vt esse creatorem, Dominum, &c. quæ ante mundi creationem de Deo non possunt vere enunciari. Ratio vtriusque partis est, quia priora dicunt relationem fundatam in solo actu immanentis Dei, qui æternus est, & ideo re ex æternitate Deo conueniunt, posteriora vero fundantur in actione transeunte, quæ non est, donec aliquid ad extra fiat, & quia hoc incipit esse in tempore, ideo predicata inde resultantia ex tempore etiam de Deo dicuntur.

35. Sub ijs ergo diuisionibus, tota Latitudo attributorum Dei sufficienter comprehenditur: Cur autem tot, & non plura numerentur Dei predicata, seu attributa, multi existimant, solum esse, quia hæc sufficiunt ad Dei explicandam naturam, & perfectionem, quatenus in hac vita concipi potest, & de facto à Theologis, & sapientibus non sunt plura excogitata. Nam ex parte Dei possent hæc in infinitum multiplicari, cum ille infinitus sit. Et licet sit vna simplicissima essentialis perfectio, vt mox dicemus, tamen quam diu non concipitur, prout in se est, potest infinitis conceptibus, & modis inadæquatis concipi, & ita possent attributa eius in infinitum multiplicari. Sed licet hoc aliquo modo verum sit, considerando perfectionem diuinam, vt patricipabilem à creatura, & sub tali respectu; ratione cuius Idææ, seu exemplaria diuina in infinitum multiplicari possunt in ordine ad creaturas posibles. Nihilominus attributa illa Dei, quæ naturam ei, & essentiam, ac perfectionem absolute declarant, certam aliquam rationem habere possunt, ob quam tot, & non plura numerentur. Quia in primis diuisio illa attributorum in negatiua, & affirmatiua adæquata est ex oppositione membrorum. Deinde negatiua attributa tot multiplicanda fuerunt, quot sufficere possent, vt intelligamus excludi à Deo omnes imperfectiones creaturarum, quod sufficienter fit per ea, quæ numerauimus. Nec in his negatiuis predicatis est alia exigenda ratio. Nam sine dubio possunt in infinitum multiplicari, si formæ creaturarum, vel genera, & species de Deo negantur, tamen illud superuacaneum esset, & extra rationem scientiæ, & artis. Quod autem illa attributa negatiua, quæ supra numerauimus, recte distincta fuerint, inde intelligi potest, quod aliquid remouetur per vnum quodque illorum, quod non remouetur per reliqua: quod vero ad prædictum finem sufficiant ex dicendis libro sequenti constabit.

16. Annotatio
circa formam
vniuersalem
D. Thom.

Circa affirmatiua autem attributa aduertendum est, illa, quæ inuoluunt relationem liberam ad creaturas non esse formaliter essentialia Deo, vt loquitur Diuus Thomas quæstio. 3. de Veritate artic. 2. ad secundum, quia ratione illius respectus, quem important, quasi accidentaliter prædicantur, & ideo iuxta diuersitatem horum respectuum illa multiplicari possunt, sicut dicuntur multiplicari plures Idææ, vel decreta libera Dei. Alia vero attributa, quæ necessario, & absolute Deo conueniunt, quædam intelligi possunt ad modum prædicatorum essentialium & per proportionem ad ea, quæ in substantijs creatis à nobis distinguuntur in linea prædicamentali, & huiusmodi sunt illa, quæ in capite 3. à nobis posita sunt, quæ non numerantur plura, quia nos non distinguimus in substantijs plures rationes formales, communes substantijs creatis per modum generis, quæ possint Deo formaliter etiam, & proprie attribui secundum abstractiones conceptus analogos, Illa ergo sunt ens, substantia,

viuens, spiritalis, intellectualis, & hic est proximus gradus: in quo intelligitur Deus habere excellentiam suam. Alia vero sunt predicata, quæ videntur attribui Deo per modum proprietatum, & quædam tribuuntur tanquam consequentia rationem entis, vt sunt transcendentia, de quibus iam dictum est. Alia, vt consequentia talem essentiam, & omnia reducuntur ad tria, scilicet, scientiam, voluntatem, & potentiam agendi, nam reliqua, vel negationem includunt, vel sub his continentur, vt videbimus. Hæc autem ideo sic numerantur à nobis, quia in intellectuali natura has proprietates inuenimus, & non plures.

CAPVT X.

An diuina attributa distinguantur in re ab essentia Dei.

In hac quaestione sermo est de attributis, quatenus aliquid reale, & posituum, in Deo ponunt, & concipiuntur, nec enim de negatiuis, vel relationibus rationis dubitari potest, quomodo distinguantur ab essentia Dei, quia cum nihil formaliter sine, non possunt habere realem identitatem cum essentia, nec propriam distinctionem positiuam, (vt sic dicam ex parte termini) sed negatiue dici possunt non habere identitatem. Loquor autem formaliter de relatione, vel negatione, nam si per illa circumscribitur, vel indicatur perfectio aliqua, quæ sit fundamentum relationis, vel negationis, in illa poterit habere locum proposita quaestio. In qua in primis supponimus tanquam de hinc certum, perfectiones illas, quæ formaliter tribuuntur Deo, eique vere insunt, non esse res distinctas realiter ab ipsa essentia Dei: Ita supponunt omnes Theologi sine controuersia, & à fortiori probabitur ex his, quæ infra dicemus. Vnde sententia cuiusdam Gualteri, quem ferunt, posuisse attributa hæc realiter distincta ab essentia, intellecta, vt sonat, de propria distinctione reali, hæretica est: & contra omnem rationem naturalem, vt constat ex his, quæ diximus disputatione trigesima, Metaphysic. sectione quinta. Est etiam contra definitiones fidei, vt ex nunc dicendis constabit, & à fortiori probari potest ex his, quibus infra libro tertio de Trinitate ostendemus relationes, vel personas diuinas non distingui realiter ab essentia Dei.

Hoc ergo supposito, est celebris sententia Scoti distincti. 3. quaestio. 4. & sumitur à simili ex his, quæ tractat de distinctione inter essentiam, & relationem diuinam in 1. distinctione. 2. quaestio septima. Ille ergo asserit, attributa distinguuntur ab essentia, non quidem realiter actualiter, nec ratione tantum, sed formaliter, quam voluit esse distinctionem mediam inter realem, & rationis. Verumtamen de sensu Scoti incertum est, qualem posuerit hanc distinctionem formalem, nam verba quibus vtitur, æquiuocant, & possent ad sensum meliorem trahi, quo communiter intelliguntur. Eius tamen Sectatores communiter nolunt aliquam interpretationem admittere, sed omnino volunt, hanc esse actuaalem distinctionem ante omne opus intellectus, vt verba Scoti interdum sonant: Et illam attribuunt diuinis attributis comparatione essentia. Vt autem Scotus probet sententiam suam, prius ostendit distinctionem attributorum inter se, deinde concludit distinctionem eorum ab essentia. Fundamenta prioris partis sumuntur ex modo loquendi, & concipiendi, quia negamus vnum attributum de alio, vt intellectum de voluntate, iustitiam de misericordia, ergo signum est, inter se distinguuntur ante operationem intellectus. Nam affirmatio, vel negatio non est vera, quia à nobis concipitur, vel pfertur, sed quia

Thema distincti
positi.

Sensu Scoti.

Fundamenta Scoti.

SCOTI
LIB. I.
CAP. X.
D. V.

quia vera est in se, ideo vere profertur. Veritas autem illa pendet ex distinctione, nam hæc significatur per illam negationem, ergo. Fundamentum alterius partis, seu illationis, nimirum, si attributa inter se distinguuntur, etiam ab essentia distingui, est, quia licet in Trinitate non teneat illatio, propter oppositionem relationum, in absolutis est optima, nam in illis locum habet illud principium. Quaecunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Vnde è contrario etiam esse idem: si ergo intellectus, & voluntas inter se distinguuntur, etiam ab essentia distinguuntur, eodem genere formalis distinctionis.

Dicendum vero est primo, attributa diuina in re non distingui actu ab essentia diuina. Hæc est communis sententia Theologorum in 1. d. 2. vbi D. Thomas, Durand. Egidius, Richardus, Gregorius, & Gabriel, item Bonauent. Maior, Albertus, & Marf. qu. 12. Alenf. 1. p. quæst. 48. M. 3. Henric. Quodlib. 5. q. 1. & Quodlib. 13. q. 1. & in sum. art. 51. q. 1. Caietanus de ente, & essent. q. 12. & 1. p. qu. 13. art. 4. vbi etiam D. Thomas idem sentit, & alijs locis, quæ sequenti commemorabo. Faudent multum huic sententiæ Sancti Patres, quos ex parte retuli in Metaphysica dispu. 30. sectio. 5. & 6. & in capite sequenti alios referam, & in scripturis habet hæc veritas fundamentum, quatenus in eis dicitur Deus esse ipsa sapientia, charitas, veritas, &c. Vnde dixit optime Dionys. cap. 2. de Diuin. nom. & cap. 13. Vnum Deus est, quia omnia vnice est, secundum vnicam eminentiam vnitatis. Et Gregorius Nyssenus libro ad Ablaium in fin. Omnem circa essentiam diuersitatem reijcit diuina, simplex, & variatio- nis inscicia natura. Basil. epist. 80. Quaecumque nomina diuina protuleris, vnam est perpetuo, quod significatur. Quod recte declarant verba Boet. libro de Trinitate, in fine. Hoc vere vnum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud, præter id, quod est.

Rationes ad hanc sententiam confirmandam, adduxi dicta disput. 30. Metaphys. sectio. 5. & 6. Summa earum est, quia omnis distinctio actualis in re est, aut realis propria, aut modalis, neque alia vera distinctio actualis cogitari potest, sed neutra illarum potest interuenire inter attributa Dei, & eius essentiam, ergo. Maiorem probaui, & declarauit latius in 1. tomo Metaphys. dispu. 8. sectione 1. Videturque per se manifesta, nam si duo sunt actu inter se distincta, vel ita comparantur, vt vnionem realem in re non habeant: & sic necesse est, esse res distinctas, quia nec sunt vnum, nec vnita realiter, ergo distinguuntur, vt duæ res, ergo distinguuntur realiter in toto rigore. Idemque est si ita sint vnita, vt dissoluta vnione vtraque manere possit in sua entitate, vt per se constat. Si vero ita comparantur, vt necessario sint coniunctæ, necesse est, vnam ad aliam comparari, vt modum eius, vel vtramque ad vnum tertium, in quo vniantur, quia in omni composito simili oportet supponi aliquam propriam entitatē, quæ sit fundamentum cuiuscunque modi, & sic confurgit distinctio modalis, nec potest aliud genus actualis distinctionis in re ipsa excogitari, nec fingi aliud genus entis, quod in re ipsa sit. Vnde si aliqua, quæ in re sunt idem, concipimus vt duo, quorum neutrum est modus alterius, nec ens omnino distinctum, plane non sunt vnita, seu vnum, nec distinguuntur in re, sed per rationem, nec intelligi potest, quomodo vnum in re afficiat aliud, sed solum nostro concipiendi modo.

Minor autem, scilicet, neutro ex his modis posse attributa distingui ab essentia, probatur primo, de distinctione reali, quia iam supponimus ex fide non esse in Deo realem distinctionem inter absoluta, vt infra tractando de Trinitate aperte confirmabimus. Imo ibi ostendemus esse de fide, absoluta non distingui realiter à reatiuis, multo ergo minus absoluta ab absolutis. Denique à fortiori id patebit ex proba-

tione alterius partis. Secundo ergo probatur de modali distinctione à posteriori, qui non potest esse sine aliqua compositione. Quam admittere in diuina natura non possumus, cum Concil. Later. in cap. Firmiter, definat substantiam Dei esse omnino simplicem. Est enim euidentis, non posse dici omnino simplicem rem illam, quæ præter suam entitatem, habet realem modum in re ipsa distinctum ab aliare, quæ per illum modificatur.

Dicunt vero aliqui, non esse compositionem inter duo distincta, nisi vnum, vt actus, & aliud, vt potentia comparentur, essentiam vero, & attributa nõ ita comparari, sed vt purus actus, qui sicut ab intrinseco, & ex se habet necessitatem essendi, ita ex se eadem necessitate habet modum ita essendi. Sed hoc nulla ratione satisfacere potest, quia si nomine potentia intelligatur talis potentia, quæ possit esse, & non esse sub actu, hæc non est necessaria ad compositionem. Nam supposita distinctione reali, seu actuali inter intellectum, & substantiam animæ, vera est compositio ex illis, & substantia animæ habet potentiam ad recipiendam talem proprietatem, siue possit ab ea separari, siue non, etiam de potentia absoluta, hoc enim posterius est, & accidentarium ad compositionem. Si vero intelligatur nomine potentia omnis capacitas actus, intelligi nullo modo potest, quod substantia, quæ potest esse sapiens, & per suam entitatem non est sapiens, sed per modum, aut formam illi additam constituitur sapiens, non comparatur ad sapientiam, vt potentia ad actum, & è conuerso, quod sapientia talis ad talem substantiam, nõ se habeat, vt actus ad potentiam. Nam formaliter constituit talem rem sapientem. Denique si illa sunt in re distincta, inquiri, an sint in re vnita, nec ne, si nõ sunt vnita, non constituunt vnum, nec vna res illarum poterit aliam denominare sapientem, vel quid simile, vel si fingatur denominatio, erit per iuxta- positionem, & aggregationem, quæ multo maiore est imperfectio, quam compositio, si vero sunt vnita, necessario componunt, quia compositio non est nisi distinctorum vnio.

Posset vero aliquis dicere, hoc genus compositionis non dicere imperfectionem, quia talis distinctio non dicit imperfectionem: eo, quod sit necessaria, vt tales perfectiones possint esse in Deo secundum suas rationes formales, quæ non possunt con- fundi in vnam. Respondetur primo, nobis esse satis, quod repugnet definitioni fidei, qua decretum est, Deum esse omnino simplicem. Deinde in tali com- positione multiplex imperfectio cernitur, tum quia si iustitia verbi gratia, distinguitur in re ab essentia Dei, necesse est illam intelligere, vt manentem ab essentia, & consequenter, vt verum accidens, non quantum prædicabile, sed vt proprium, tum etiam quia substantia à qua esset tale accidens, non esset in se infinite perfecta, quia non includeret formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem: vnde posset intelligi perfectior substantia. Nec ex illa, & talibus accidentibus, seu proprietatibus, posset in- telligi coalescere vnum summe perfectum, quia ex imperfectis non fit vnum perfectissimum, quo non possit intelligi perfectius. Has rationes latius, pro- posuimus in Metaphys. Et iterum in tractatu de Tri- nitate tractandæ sunt, comparando Diuinam essen- tiam cum relationibus & ex sequentibus capitulis confirmabuntur. Quod vero in illa responsione supponitur, est que fundamentum contrariæ senten- tiæ, non posse has perfectiones attributorum Dei esse in rerum natura, sine distinctione actuali inter se, falsum est, vt ostendemus cap. 13. Et ideo vsque ad illud differimus solutionem argumentorum, quæ in contrarium fieri solent, nam ante illam, nec- cessaria sunt, quæ in capite seq. sunt tractanda.

3. Opinio Au-
boris.
D. Thom.
Durand.
Egid.
Richard.
Greg.
Gabriel
Bonauent.
Mair.
Albe.
Marfil.
Alenfis
Henric.
Caietan.
D. Thom.
Dionysius.
Gregor.
Nyssen.
Basilius.
Boetius.

4.

5.

Concil. La-
teran.

6. Quæstionem
responsio.

7. Euaſioni,
que hic esse
dicitur.